

*Spiritus interpellat gemitibus inenarrabilibus.*

Léctio Epístolæ beāti Pauli apóstoli  
ad Romános

8, 22-27

**F**ratres:

<sup>22</sup> **S**ciamus quod omnis creatúra congemíscit  
et compárturit usque adhuc;

<sup>23</sup> non solum autem,  
sed et nos ipsi primítias Spíritus habéntes,  
et ipsi intra nos gémimus  
adoptiónem filiórum Dei exspectántes,  
redemptiónem córporis nostri.

<sup>24</sup> Spe enim salvi facti sumus;  
spes autem, quæ vidétur, non est spes;  
nam, quod videt, quis sperat?

<sup>25</sup> Si autem, quod non vidémus, sperámus,  
per paciéntiam exspectámus.

<sup>26</sup> Simíliter autem et Spíritus  
ádiuvat infirmitátem nostram;  
nam quid orémus, sicut opórtet, nescímus,  
sed ipse Spíritus interpéllat gemítibus inenarrábilibus;

<sup>27</sup> qui autem scrutátur corda,  
scit quid desíderet Spíritus,  
quia secúndum Deum póstulat pro sanctis.

Verbum Dómini.